

SECTIO ALTERA

1/

De recursu contra decretum remotionis a paroecia

Pendente recursu apud Signaturam Apostolicam contra decretum remotionis a paroecia, Episcopus parochi recurrentis, iuxta praxim apud H. S. Tribunal vigentem, paroeciam alii stabiliter valide conferre nequit (can. 2146, § 3).

Analogice enim cum processu iudiciali, etiam in processu admi-

nistrativo servandum est principium: « *Lite pendente, nihil innovetur* » (can. 1725, 5^o). « Cum iura enim in controversiam veniunt, in eo statu servanda sunt, quo condicio veri domini non minuatur » (VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome iuris canonici*, t. III, n. 147).

Siquidem « a definitivo decreto » Ordinarii, « recursus ad Sedem Apostolicam » ut « unicum datur iuris remedium » (can. 2146, § 1), hoc remedium effectum in processu administrativo similem illi, quem recursus seu appellatio in processu iudiciali, obtinet, nempe in suspensivo quoad attributionem iuris quod in controversia est.

Verum est quod haec vis suspensiva recursus parochi amoti solummodo partialis est, sed radicalis quatenus suspendit ipsam stabilem alii clerico collationem paroeciae, quae proinde iure vacans considerari non potest.